

226 TH. BARTHOLINI
rodotoque posteriorem quis credat fincerius de præterito tempore judicare potuisse, quàm de præsentis *Herodotum*? Neque eò pervenisse scio audaciæ *Aristotelem*, ut ex levicula culpa circa suem, quem nec ferum nec mansuetum in India haberi negarat, omnia *Ctesia* damnaret quæcunque seu de Monocero seu aliis in India observarat, quamvis sine teste eo nomine solo fidem *Ctesia* derogaverit. Quid enim absurdi, nisi alia afferret, ex India suillum genus eliminare, quod neque in Arabia agnoscit *Plinius* lib. 8. cap. 51. Sed argumenti pondus elevat, quisquis in veterum scriptis versatus, malè ex unico errore totius operis auctorisque dignitatem fidemque pensari novit. Jam certè de utroque foret conclamatum, malèque audirent *Aristotelis* omnia, quòd hic loci in Gallia Asinos falsò neget. Actum etiam eadem sententiâ de *Homero* antiquissimo Polyhistore esset, si quæ de obsidione expugnationeque Trojana finxerat, reliquis verè dictis falsi